



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 147. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? v. 15.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

Nolumus hunc regnare super nos, & si forte ipse prober se vere super nos regnare; ecce nos communitas eum deponimus, abdicamus, tibi in manus tradimus, & iubemus te ut ministrum iustitiæ pro nobis auferre eum de terra viventium; perdere, mactare, crucifigere, sub terra sepelire.

O Spectaculum! in cœlis Angeli & Archangeli, throni & dominationes, principatus & potestates Cherubim & Seraphim, virtutesq; cœlorum ipsi seruiunt, ipsi proclamant incessanter *Sanctus, Sanctus, Sanctus D. Deus Sabaoth, pleni sunt cœli & terra gloria tua; Rex regum & Dominus dominantium;* & homines in terra eidem acclamant, *Tolle, tolle, crucifige, crucifige.* Res obstupescenda est nimis.

§. 147. *Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? v. 15.*

Quid horribilins dictu, quid magis repugnat naturæ, vel Dei præcepto, quam superiores suos iudicare & quidem ad supplicium, & tale supplicium! Hoc tamen potuit facere Iudaica invidia, & nuper imitari Calviniana perfidia. Horrui Pilatus, & suis mer auribus audiens sceleratos non credit, sed quasi falsus esset audiendo, interrogat, an bene intellexit, quid vellent.

O Christiani Catholici, attendite & videte, qui his Iudæis similes sint. Illi qui potestatem contemnunt & blasphemant, an qui etiam dyscolis obediendum esse dicunt, Deus meus oculos meos ad te converto, & in spiritualibus me Pontifici tuo in terris vicario, & Episcopis eius adiutoribus ac sacerdotibus subijcio, & eos honoro. In temporalibus vero Imperatori, Regi ac Principibus ab eo constitutis, nolo eos iudicare, nolo eos taxare, nolo eos inter se concitare. Nemini cupio aliquid derogare & in alterum ut transferatur optare. Da eis Domine sapientiam & iustitiam, qua populos subiectos sibi regant sic ut cum ipsis perveniant ad regnum æternam, quod crucifixus pro nobis promeruisti nobis.

§. 148. *Responderunt Pontifices, non habemus Regem nisi Cæsarem, v. 15.*

Quia populus dictum Pilati, videbatur apprehendere, & moveri ob crudelitatem in talem personam, quam ipsi pridem eligere volebant in Regem; & quem pueri Hæbreorum regem Israel ante paucos dies clamaverant, & cum summa solemnitate, ramis Palmarum, vestibus stratis per plateas introduxerant in urbem; imo ob multitudinem beneficiorum, quibus obstricti erant, & eius magnificentiam considerando fiebant

O 3

clin-